Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2159
Quelle:
Copyright:

batis ſub ipſius nomine et cuiusdam othlohi per dyalogum compoſitam. Init Othlohus: *Poſtquam donante deo petitionibus meis et queſtionibus in aſtronomica ſatisfeciſti* &c. Extat Opuſculum cum noſtro *Cod.* collatum T. II. *cit.* p. 154. deque Autore *Hirſaugienſium* Sec. XI. Abbate in *Praef.* agitur.

IX. *fol.* 82. *Muſica Clariſſimi Viri Herimanni*, vulgo *Contracti* a labe corporis ✠ a. 1054 *Bernonis* ſyncellitae, ut ait Celſ. *Gerbertus* in *Praef.* T. II. cujus p. 125. Librum hunc *de Monochordo* e *Cod.* praeſenti deſcriptum protulit. Incipit is: *In conſideranda Monochordi poſitione ea prima ſpeculatio occurrit* &c. Locus ille poſtremus: *Ter terni ſunt modi* &c. neque a noſtro *Codice* abeſt.

X. *fol.* 90. *Incipit Muſica Domni Heinrici Auguſtenſis Magiſtri.* Nihil de hoc Viro mihi compertum eſt, qui e Codicis Scriptura praecedentibus ſubpar videtur. Praeteriit Celſ. Princeps Abbas ejus Opuſculum, quod inſtitutio catechetica eſt, et ſic ingreditur: A. *Eſtne muſica genus an ſpeties?* X. *Speties eſt & ſubalternum genus.* A. *Quomodo?* X. *Scientia artificialis cum in multa. etiam in muſicam diuiditur. Eſt autem ſubalternum genus. quia in tres ſpeties ſubdiuiditur. quarum prima eſt. mundana. ſecunda humana. tertia artificioſa.* A. *Que eſt mundana?* X. *Quam VII. planete. mundi uidelicet partes. ſua volubi* (li) *tate efficiunt.* A. *Que eſt humana?* X. *Quam uiue uoces hominum efficiunt.* A. *Que eſt artificioſa?* X. *Que arte hominum compoſita. aut tactu ut in fidibus. aut flatu ut in organis. aut percuſſione ut in cymbalis et tybiis perficitur.* &c. Atque ita deinceps in Tonorum doctrinam introducit, ſolo ex autoribus *Ptolemaeo* citato. Extrema deficere videntur; poſtquam enim dixiſſet in vicem VII. Planetarum eſſe Literas E F G A B C D, finit: *Quod ſimpliciter ſeminis more iacta multipliciter ſurgunt;* atque in eo definit Muſicorum Manipulus, novusque rerum naſcitur ordo. Nam

XI. *fol.* 92. *Incipit rethorica martii tullii de inuentione.* Initium: *Sepe et multum hoc mecum cogitaui* &c. Textus multis rubricis interſtinctus, ſatis emendatus eſt, et cum lectione *Erneſtiana* probe conſentit; habet tamen ſub initium *maximas ciuitatum* pro *maximarum*, dein *ciuis fore putatur* pro *videtur*. item *ſiue artis initium ſiue ſtudii ſiue exeritationis* pro *ſive ſtudii, ſive artis, ſive exercitationis* &c. et rurſus *compulit in unum* (omiſſo *locum*) *et congregauit* &c. Liber II. abrumpitur in his verbis non multum ante finem: *et pecunias in mare deicere* — —. Id quod queritur infima folii ora: *Hic preciſa ſunt duo folia. juſto an furto factum ſit. et pars litterę de pleno corpore ſublata eſt. Puto petrus nutrit fures.* Quod an de Eccleſia in totum, an de quodam S. *Petri* Coenobio intelligendum ſit, neſcio.

XII. *fol.* 118. *Incipit Rethorica M. tullii ad Herennium.* Ita quidem tum; verum nunc inter

Eru-